

aliqua gratia, per quam vel cum qua has vires accipiant; et hæc est gratia excitans, operans, ac præveniens, quam (ut dixi) non agnovit Pelagius. Si autem admisisset verum adjutorium gratiæ ad velle et operari, consequenter necessario admisisset verum adjutorium possibilitatis, et non solum nomine, sed etiam re prævenientem gratiam posuisse crederetur. Ac propterea Augustinus urget illum, ut adjutorium ad velle et agere necessarium agnoscat, quia tunc non dubitabimus quin requirat etiam verum adjutorium possibilitatis; vel e contrario, ex eo quod Pelagius negavit necessitatem gratiæ adjuvantis ipsum velle et agere, convincit illum non posuisse, nisi nomine tantum, adjutorium possibilitatis; non tamen quod sit per internam et necessariam gratiam prævenientem. Non igitur postulat Augustinus a Pelagio solum adjutorium ad velle et agere, quia existimet prævenientem gratiam non esse necessariam, sed potius quia inseparabilis est ab illo adjutorio. Unde, cum Pelagius jam generatim admitteret adjutorium possibilitatis, non posset circa illud errare, si aliud adjutorium ad velle et agere non negaret.

Ex quibus omnibus satis constat quo sensu dixerit Augustinus loquens de illa palliata gratia, quam ponebat Pelagius: *Hanc nos gratiam volumus, sed illam quæ facit credentes, sperantes, amantes.* Non enim hæc et similia dixit propter auxilium prædeterminans, sed propter veram gratiam excitantem et adjuvantem, per quas datur homini ipsum credere aut velle, non quia sola gratia aliquid prius faciat in ipsomet actu credendi vel amandi, vel in determinatione ad illum, quæ revera ab ipsa libera actione volendi non est distincta, sed quia ipsa gratia est quæ prævenit dando vires, et juvat dando ipsummet actum, et actionem, ac determinationem liberam, cooperante simul ipso libero arbitrio. Quem verum et Catholicum sensum, licet in aliis posterioribus operibus latius Augustinus pertractaverit, ut postea videbimus, tamen in illo etiam libro de Gratia Christi non omisit, sed sufficienter explicuit in cap. 14, dicens: *Quis autem non videat et venire quemquam, et non venire arbitrio voluntatis, sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit, non potest autem nisi adjutum esse, si venit; adjutum (inquam) et ut possit, et ut faciat; nam hoc est quod subdit: Et sic adjutum, ut non solum quid faciendum sit sciat, sed quod scierit etiam faciat;* et capite vigesimo quinto, ad Pelagium

loquens, ait: *Desine dicere: Quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit; quod vero bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est. Desinat (inquam) ista dicere; non solum enim Deus posse nostrum donavit, atque adjuvat, sed etiam velle, et operari operatur in nobis, non quia nos non volumus aut non agimus, sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni, neque agimus.* Sic ergo etiam Deus operatur in nobis nostras determinationes, seu hoc ipsum quod est nos determinare, non quia nos non determinemus nos ipsos, sed quia sine ipsius adjutorio determinationem ad bonum habere non possumus, nam quoad hoc eadem est ratio de determinatione ad velle, et de ipso velle, quia in re non sunt duæ actiones, sed una, et ideo Augustinus nunquam de illis tanquam de diversis locutus est.

At enim objiciet aliquis, quia statim eodem capite Augustinus subjungit de filiis Dei, qui pietatis opera faciunt: *Ut agant quod bonum est, ab illo aguntur qui bonus est, juxta illud ad Roman. octavo: Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* si ergo aguntur, determinantur ad agendum, teste Augustino; qui enim agitur, in eo passive se habet; unde non potest non agi, supposita motione alterius, et consequenter nec potest non agere facta eadem hypothesi; quia ad hoc agitur ut agat. Respondetur Augustinum non in alio sensu dicere nos agi a Spiritu Sancto ut agamus, quam Paulus dixit filios Dei agi Spiritu Dei; dicuntur autem justi agi a Spiritu Sancto, quia primus motor eorum ad bene agendum est Spiritus Sanctus, et quia est eorum rector et gubernator, quod non facit per motionem prædeterminantem, sed per gratiam excitantem et dirigentem illos. Unde Irenæus, l. 3 contra Hæreses, c. 10, vertit: *Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei.* Et Augustinus, in Enchir., c. 64: *Quamvis (inquit) quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, sic tamen Spiritu Dei excitantur, et tanquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo interdum deficiant.* Ubi explicat verbum *aguntur*, per verbum *excitantur*. Unde non est necesse ut qui sic aguntur ut agant, necessario subinde agant actionem illam ad quam excitantur, quia spiritu suo possunt resistere spiritui Dei; quando autem non resistunt, tunc proficiunt ut filii Dei, id est ut libere obediens spiritui Dei, ac proinde dum acti agunt, sese etiam determinant ad agendum, quia agunt ut domini talium actionum. Quod recte declaravit idem

Augustinus, serm. 13 de Verbis Apostoli, dicens: *Dicit mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus. Respondeo: Imo et agis, et ageris; spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adjutor est, ipsum nomen adjutoris adscribit tibi, quia et tu ipse agis; agnosce quid poscas quando dicis: Adjutor meus esto, ne derelinquas me. Adjutorem itaque invocas Deum; nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur.* Ubi tacite probat hominem non agi divino spiritu nisi per gratiam excitantem, quia spiritus ita agit hominem, ut sit adjutor hominis; talis ergo est illa actio spiritus, ut excitet hominem ad se adjuvandum, non ut determinet ad agendum. Unde explicando eandem actionem spiritus, ait idem Augustinus: *Aguntur spiritu Dei, non littera, sed spiritu; non lege præcipiente, sed spiritu exhortante, illuminante, adjuvante.* Quæ omnia verba gratiam excitantem declarant, quæ etiam adjuvans est, quando homo cum illa cooperatur, cooperante ipso spiritu, de quo subjungit ibidem Augustinus: *Si non esses operator, non esset ille cooperator;* et ideo, libr. de Gratia et liber. arbitr., cap. 2: *Nemo (inquit) Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisque dum peccat, neque cum aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc a propria voluntate.* Ergo nec determinatio ad bene volendum alienanda est a propria voluntate, quamvis sit opus Dei, cum sit in potestate hominis illam non habere; nam si hoc ita non esset, qui illam non haberet, merito posset causari Deum in corde suo. Unde inferius, capite 3, tractans illud 1 ad Cor. 6: *Rogamus vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis,* interrogat: *Ut quid eos rogat, si gratiam sic susceperunt, ut propriam perderent voluntatem.* Quod profecto evidentissimum argumentum est, ut infra ponderabo.

Est etiam, ad hunc sensum confirmandum, attente animadvertendum quod paulo post in eodem decimo tertio sermone Augustinus subdit: *Agis quidem illo non adjuvante, libera voluntate, sed male; cum dico tibi sine adjutorio Dei nihil agi, nihil boni dico; nam ad male agendum, habes sine adjutorio Dei liberam voluntatem.* Nam hinc constat non dici Deum agere vel adjuvare voluntatem nostram propter necessitatem physicæ prædeterminationis; nam si hoc ita esset, etiam Deus esset adjutor hominis ad agendum malum, et homo non ageret malum nisi actus a Deo; quod ab Augustino negatur, et per se est absurdissimum. Neque habet hic locum distinctio de materiali et formali; quia sermo est de posi-

tiva actione hominis, quæ non est nisi circa materiale peccati, de qua etiam loquitur eodem modo Augustinus, libro secundo de Peccatorum merit. et remiss., capite 3, eandem differentiam constituens inter bonum et malum actum, quod ad bonum adjuvatur a Deo, non autem ad malum. Illud ergo adjutorium non est per physicam prædeterminationem, nam si esset, æquale esset adjutorium ad utrumque actum. At per hoc adjutorium putat Augustinus se sufficienter distinguere sententiam suam ab errore Pelagianorum, ut declaravimus; ergo per illud adjutorium operatur Deus in nobis et velle et perficere, et dat non solum posse, sed etiam velle et agere; ergo, juxta doctrinam Augustini, hæc omnia fiunt a Deo alio modo quam per physicam prædeterminationem, nimirum per internam et occultam Spiritus Sancti doctrinam et inspirationem, ut ipse diserte explicat, capite decimo tertio et decimo quarto. Hæc ergo gratia est quæ nos discernit a Pelagio, non physica prædeterminatio. Quam gratiam eleganter descripsit Augustinus, eodem libro, capite quadagesimo quinto, tractans verba illa: *Respexit Dominus Petrum,* quæ de interiori intuitu exponit, dicens: *Quod scriptum est, quod respexit Dominus Petrum, intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est. Misericordia Dominus latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratia sua visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movit et perduxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adjuvando adest voluntatibus et actionibus nostris. Ecce quemadmodum et velle et operari operatur in nobis.* Ex quibus verbis evidenter intelligimus sub hoc adjutorio comprehendere Augustinum et excitantem et cooperantem gratiam, et illis solis tribuere totum hoc opus Dei, et quidquid Deo attribuitur in Scriptura sacra, circa efficientiam supernaturalium actuum liberi arbitrii. Unde, quamvis vera esset doctrina de physica prædeterminatione, non esset in illam reducendum speciale adjutorium gratiæ, ratione cujus nostri actus dicuntur dona Dei; quia illa physica prædeterminatio generalis esset ad omnes actus, tam bonos quam malos. Sicut, licet Deus concurrat ut prima causa ad supernaturales actus, non recte dicitur Deus esse auctor istorum actuum peculiari illo modo ad gratiam Dei necessario, ratione tantum illius concursus; quia ille de se communis est, et suo modo debitus, suppositis

aliis principiis, ac proinde quasi indifferens est ad bonos et malos actus.

Atque hinc sumere possumus aliud argumentum ex doctrina ejusdem Augustini, eodem libro primo de Gratia Christi, capite decimo septimo et vigesimo quinto, ubi contra Pelagium argumentatur, qui Deo tantum tribuebat possibilitatem ad bonum, id est liberum arbitrium, quod etiam est possibilitas ad malum. Et ideo inquit: *Non poterat Pelagius attribuire Deo nostra bona opera, ex eo capite quod ipse dedit liberum arbitrium, a quo sunt talia opera; ne sibi (inquit) responderetur: Si quod bene agimus, loquimur, cogitamus, ideo est nostrum et Dei, quia ille hoc posse nobis donavit, ergo et quod malum agimus, loquimur, cogitamus, et nostrum est et Dei, quia illud posse ad utrumque donavit. Atque ita (quod absit), quemadmodum cum Deo laudamur in operibus bonis, ita cum illo culpamur in malis; possibilitas quippe illa quam dedit, tam nos facit bona posse quam mala.* At hoc Augustini argumentum illud idem est quod nos facere solemus de prædeterminatione physica, quod, si ratione illius Deus est auctor nostrorum bonorum operum, ratione ejusdem erit auctor malorum operum, nam prædeterminationem illam ad utrumque opus dari definiuit, sicut Pelagius de sua possibilitate dicebat. Imo (quod gravius est) ille aiebat possibilitatem illam de se indifferentem determinari ad malum ex voluntate hominis, non Dei; isti autem dicunt physicam illam motionem determinari ad malum ex sola Dei voluntate, quia a sola illa procedit ante cooperationem liberi arbitrii; vel, si fateantur Deum esse primum auctorem et promotorem operis mali, quatenus opus est, quomodo non eodem modo et multo facilius, responderet Pelagius? Imo facilius se excusaret ne Deo malitiam, ut malitia est, tribueret, quia non est necessario conjuncta cum possibilitate quam Deus dat. Quam excusationem ipsi arripere non possunt; quia malitia necessario conjuncta est cum actu, et actus cum determinatione, quam Deus solus facere dicitur. Igitur gratia, quæ nos distinguit a Pelagio (ut dicto capite vigesimo quinto concludit Augustinus), non est aliquid de se commune et indifferens ad opera bona et mala; non est ergo prædeterminatio physica, sed inspiratio et adjutorium Dei.

Notandum primo.—Ex his ergo non solum responsum est ad argumentum in principio positum, sed etiam demonstratum ex verbis

ejusdem Augustini, nec Pelagium confessum esse aut cognovisse verum spiritum gratiæ interioris, vel necessitatem veri adjutorii divini; neque Augustinum postulasse unquam a Pelagio ut auxilium de se efficax, ac voluntatem nostram prædeterminans, necessarium esse ad salutem crederet, sed solam internam vocationem et adjutorium Spiritus Sancti. Addimus vero ulterius tres graves errores imponi divo Augustino, ut talis doctrina ei attribuat. Primus est, neminem qui vocationi resistit recipere a Deo veram motionem gratiæ, sed tantum legem et doctrinam; quod tamen dicere erroneum est. Prior pars constat ex verbis et conjecturis quæ in argumento illo ponderantur, præsertim ex capite decimo, decimo secundo et decimo tertio. Nam in illis omnibus contenditur secundum Augustinum nullam esse veram gratiam, nisi illam per se efficacem; nam quæ hujusmodi non est, dat posse, non vero agere, quam gratiam etiam admittebat Pelagius. Altera vero pars, scilicet, hoc dicere erroneum esse, probatur, quia alias ille qui non credit prædicationi Evangelii, nunquam esset a Deo vocatus per veram gratiam internam, sed solum per legem, doctrinam, seu revelationem externam. Et similiter, quicumque non agit pœnitentiam, non habet veram gratiæ vocationem ad pœnitentiam, sed ad summum externam propositionem; et sic de cæteris virtutum actibus; nam qui illos non facit, non habet auxilium per se efficax ad illos faciendos, ut perse constat; ergo si solum illud auxilium est vera gratia interna, illi omnes non habent veram gratiam internam, sed solum legem et doctrinam. At hoc evidenter repugnat Scripturæ dicenti: *Vocavi, et renuistis*; loquitur enim de vera gratiæ vocatione, alias fiete et sine causa conquereretur Deus; et de eadem est sermo cum dicitur: *Ego sto ad ostium, et pulso, si quis aperuerit, etc.* Nam est sermo de tactu, qui dat potestatem aperiendi. Simile est illud: *Quoties volui congregare filios tuos, etc., et noluisti?* Quid enim mirum esset noluisse, si Deus solam legem vel doctrinam ad volendum dedisset? Item nulla culpa in his hominibus argui posset; tum quia non haberent auxilium sufficiens nec potestatem operandi, nam sola lex vel doctrina non dat hanc potestatem, hic enim fuit error Pelagii; tum etiam quia non esset in potestate talium hominum habere auxilium efficax, ac proinde nec effectum ejus. Quam vero sit hic error alienus a mente Augustini, constat ex eodem

Augustino, libro de Gratia et libero arbitrio, nam hac ratione monet in capite secundo, ut nemo causetur Deum in corde suo; at si nulla vera gratia Deus hominem non consentientem præveniret, merito posset in Deum refundere suum non consensum. Et capite quinto habet illam interrogationem circa verba Pauli: *Rogamus vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: Ut quid eos rogat, si gratiam sic susceperunt, ut propriam perderent voluntatem?* Quod (ut dixi) evidens argumentum est: aut enim rogat eos qui gratiam determinatam acceperunt, et sic superflua et impertinens est rogatio; quia nullum periculum est quod in vacuum illam gratiam recipiant, quia non est in potestate eorum illam cassam reddere; imo implicat contradictionem, illa jam recepta, hominem non operari. Vel rogat Paulus hominem qui non recepit determinantem gratiam, et fiete rogat juxta illam sententiam, quia nullam veram gratiam homo recepit, sed Pelagianam; et vana est rogatio, quia est de re impossibili; nam velle sine determinatione est impossibile, et gratiam illam determinantem recipere non est in potestate libera recipientis, sed dantis; ac denique impossibile est non recipere in vacuum legem et doctrinam eum qui non recipit aliquam internam sufficientem gratiam. Unde ipsamet verba Pauli iudicio meo evidenter convincunt dari veram internam gratiam etiam iis qui sua culpa in vacuum illam recipiunt. Quam perinde oportet esse sufficientem, et ex parte Dei efficacem, si per hominem non steterit; totum enim hoc convincit rogatio Pauli. Et ideo etiam dixit Augustinus, libro secundo de Peccat. merit., capite decimo septimo, gratia quidem Dei adjuvari hominum voluntates: *Quod autem illa non juventur, in ipsis causam esse, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ, sive contra ipsam suam superbiæ judicandi et erudiendi, et filii sint misericordiæ.* Quod verum esse non posset si etiam illi, qui actu non juvantur, veram aliquam interiorem gratiam a Deo non recipere, qua præventi, possent etiam actu juvari, si vellent.

—Nullo ergo modo potest hic error Augustino tribui, et ideo in omni sententia ita ejus verba interpretanda sunt, ut non neget, etiam reprobis, seu his qui non consentiunt vocationi, dari veram et internam gratiam ultra legem et doctrinam, per quam gratiam non solum juvatur possibilitas voluntatis, eo modo

quo Pelagius juvari dicebat per legem et doctrinam, sed datur illi ut possit, nam præparatur ejus voluntas a Domino, et hoc modo accipit potestatem, ut Augustinus dixit, libro primo Retractationum, capite vigesimo secundo. Aliquando vero per antonomasiam vocat Augustinus gratiam, illam solam quæ efficaciter præparat voluntatem, ut de facto consentiat et operetur, quod non facit determinando illam, sed congrue vocando, ut in aliis locis infra tractandis disertissime Augustinus declaravit. Cum ergo Augustinus postulat a Pelagio ut, si velit esse Christianus, eam gratiam fateatur, quæ non solum suadet, sed etiam persuadet, dicere facile possumus exigere ab illo ut gratiam cooperantem fateatur, quæ nunquam nisi efficax est, si actu datur; nunquam vero actu datur, nisi arbitrio ipso cooperante. Quod si velimus de vocatione efficaci illa verba intelligere, non ideo putandum est fuisse dicta ab Augustino, quia omnem aliam veram gratiam Pelagius admittebat, sed quia illam gratiam maxime putabat Pelagius contrariam libertati. Quocirca, cum Augustinus ait eum qui audit quid facere debeat, sed non facit, nondum a Deo discere secundum gratiam, sed secundum legem, non secundum spiritum, sed secundum litteram, non negat hujusmodi hominem doceri a Deo secundum veram gratiam, sed negat ipsum hominem discere secundum illam; nam discere est consentire et persuaderi, unde involvit gratiam actu adjuvantem et cooperantem, ante quam præcedit in homine interna gratia excitans, per quam vere Deus docet secundum gratiam et spiritum, et non tantum secundum legem et doctrinam, quantum est ex se, quamvis homo ipse pro sua libertate non discat, et ita gratia illa non perveniat ad effectum. Unde quod Augustinus subjungit, quando Deus ita docet, ut homo discat volendo et perficiendo quod docetur, tunc doceri secundum gratiam et spiritum, non secundum legem, verissimum est; non est tamen cum exclusionem intelligendum, id est nunquam doceri secundum gratiam, nisi cum ita discit; nisi sermo per antonomasiam sit de doctrina efficaci alta et secreta, quæ per vocationem congruam præstat.

Secundus error cavendus.—Secundus error in illis testimoniis cavendus est, libertatem arbitrii per gratiam operantis solum consistere in hoc quod libenter, id est, voluntarie, facit id quod facit, et non in indifferentia potestatis ad agendum et non agendum. Est

enim hæc hæresis Calvinii, et aliorum hujus temporis hæreticorum, qui libenter arripiunt, prout sonat, verbum illud Augustini: *Præceptum libere facit, qui libens facit*. Et in eundem scopulum videntur impingere qui dicunt voluntatem non consentire, nisi prædeterminatam per vim solius gratiæ per se efficacis prævenientis illam; quia voluntati solum relinquunt ut libenter feratur in illud ad quod determinata est, ac proinde libere a coactione, non vero cum indifferentia potestatis ad agendum et non agendum, et consequenter nec libere a vera necessitate agendi. Hoc autem, quantum in se sit falsum et erroneum, satis a Concilio Tridentino, in sessione sexta, declaratum est; et inter Catholicos est adeo certum, ut nullus audeat consequens illud admittere, etiamsi impossibile videatur, positus quibusdam principiis quæ ipsi admittunt, illationem negare. De Augustino vero certissimum est docuisse, non obstante gratia quæ in nobis operatur ipsum velle, voluntatem nostram non solum voluntarie, sed etiam cum propria indifferentia velle et operari. Quod maxime constat ex toto illo libro de Gratia et liber. arbitr.: *Nam cui dicitur* (inquit in c. 3): *Noli vinci a malo, arbitrium sine dubio voluntatis ejus convenitur; velle enim et nolle propria voluntatis est*. Ubi evidenter ponit libertatem arbitrii in potestate indifferente ad volendum et nolendum, quam potestatem dicit esse in homine a Deo sufficienter excitato et admonito ad vincendum in bono malum, atque adeo habente jam a Deo potestatem ad illam victoriam comparandam; nam si non esset in eo statu constitutus, profecto non posset merito liberum ejus arbitrium conveniri. Idem ostendit optime ipsemet Augustinus, eod. lib. de Grat. et liber. arb., c. 15, ubi confert loca Scripturæ, in quibus Deus dicitur facere ut velimus et faciamus, et convertere nos, et dare quod jubet, cum illis in quibus monemur ut convertamur, obediamus et faciamus, et ut nolimus obdurare corda nostra; quia nimirum velle et nolle semper manet in nostra potestate, non obstante quacumque præventionem Dei; quod necessarium est ad libertatem: *Semper autem est in nobis voluntas libera* (ait Augustinus), ubi ponderandus est ille terminus *semper*, nam positum sine dubio est ad explicandum, quod etiam voluntas præventa seu præparata a Deo libera est illa libertate indifferentiæ, de qua locutus fuerat, et fere in toto illo libro loquitur, ponendo illam in potestate volendi et nolendi.

Et consonat optime quod dicit in citato loco lib. Retractat., cap. 22, ubi recognoscens hæc verba sua ex l. contra Adimantum Manichæum, c. 26: *Nisi quisque voluntatem suam mutaverit, bonum operari non potest quod in nostra potestate esse positum alio loco Dominus docet, ubi ait: Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, et fructum ejus malum*, addit Augustinus: *Quod non est contra gratiam Dei, quam prædicamus*. Prior autem ejus sententia evidenter fuerat de libertate indifferentiæ cum potestate ad opposita, quam etiam verba Christi clare supponunt. Nunquam ergo intellexit Augustinus talem esse gratiam necessariam ad bene operandum, quæ hanc tollat libertatem indifferentiæ, sed quæ illam adjuvet; unde subjungit: *In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem; sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur, de quo dictum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus facimus, nihil tam in potestate quam ipsa voluntas est, sed præparatur voluntas a Domino, eo ergo modo dat potestatem*. Præparatio ergo prævenientis gratiæ dat potestatem bene operandi, non tamen aufert potestatem resistendi, vel male operandi. Item præparatio illa proxime, et ut talis est, dat potestatem bonæ voluntatis; ipsam autem bonam voluntatem, nec sola ipsa facit, nec formaliter ut præparans est, sed cum transit in adjuvantem cooperando voluntati. Relinquit ergo illa præparatio suam indifferentiam voluntati. Imo illam complet, quatenus potestatem bene volendi confert, unde de voluntate in eo jam statu constituta approbat statim Augustinus quod in eod. lib. contra Adimant., cap. 27, dixerat: *In nostra potestate est ut vel inseri bonitate Dei, vel excidi severitate moveamur; quia in potestate nostra non est nisi quod nostram sequitur voluntatem, quæ cum fortis et potens præparatur a Domino* (id est cum per ipsam præparationem fortis et potens efficitur), *facile fit opus pietatis, etiam quod difficile atque impossibile fuit*. Ubi non dicit necessario fieri, sed *facile*, quia ipsa gratia præparans dat potestatem et suavitatem in operando, non necessitatem.

Quando ergo Augustinus, in alio loco de Gratia Christi, dicit: *Præceptum libere facit, qui libens facit*, non ita id intelligit ut satis sit voluntarie facere ad libere operandum; nam hoc modo beatus libens amat Deum, et non libere amat; et Deus seipsum libentissime amat, et Pater et Filius libenter produunt

Spiritum Sanctum, et tamen nec Deus seipsum libere amat, nec Pater et Filius libere produunt Spiritum Sanctum. Videtur ergo ibi Augustinus loqui de voluntate, quæ non solum cum indifferentia, sed etiam cum peculiari suavitate et delectatione amoris fit, et de homine sic volente ait libentem operari, ac proinde liberum etiam operari cum majori quadam excellentia et perfectione, quæ includat etiam libertatem a servitute timoris; hanc enim libertatis perfectionem sæpissime in hac materia Augustinus gratiæ tribuit. Et hunc esse sensum illius loci constat ex verbis proxime præcedentibus: *Ex lege* (inquit) *justitia, quæ fit propter legis mandatum; justitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium, ut non sit terribile, sed suave mandatum; sicut oratur in psalmo: Suavis es Domine, et in tua suavitate doce me justitiam tuam, id est, ut non formidine pænæ serviliter cogar esse sub lege, sed libera charitate delecter esse cum lege*; et tunc subjungit: *Præceptum quippe libere facit, qui libens facit*; loquitur ergo de libertate perfecta quæ amoris est, et necessitatem timoris excludit. Quod autem supponat libertatem indifferentiæ, vel ex eo est evidens quod loquitur de faciente præceptum; beatus enim amans Deum, licet possit dici libenter amare, non tamen potest dici libenter implere præceptum amoris; quia nec est capax præcepti alicujus actus, quia ex necessitate illum facit, neque obedientia locum habet ubi non est potestas libera. Igitur omnis qui facit præceptum, libere facit, sed tunc perfecte libere, quando libens ex amore facit; et hic est sensus Augustini.

Tertius ergo error, in illis argumentis Augustino attributus, est, Deum esse auctorem operis mali, et ad ejus omnipotentiam pertinere determinare voluntatem ad opus malum sicut ad bonum, et hoc modo agere Deum in cordibus hominum quidquid ipsi volunt. Sed de hac doctrina, qualis in se sit, dixi in superioribus, et latius in secundo libro de Auxiliis, ubi etiam ostendi quam fuerit Augustinus alienus ab illa. Quod etiam ex dictis in hoc capite, et notatis in eodem libro de Gratia Christi, et ex 2 lib. de Peccat. merit. et remiss. manifestum est. Denique, quamvis non negem inveniri apud Augustinum circa hoc punctum duriores quasdam locutiones, earum tamen verum sensum in eisdem locis aperiri. Et ideo circa hoc amplius in præsentem immorari necesse non est. Nam quod Augustinus ait, ad omnipotentiam

Dei pertinere, quo voluerit, quando voluerit, et ubi voluerit, creatam vertere voluntatem, hoc potest facere, vel necessitando illam, quod faciet physice prædeterminando; nec enim alius modus talis necessitatis intelligi potest; vel potest etiam id facere conservando libertatem ejus, sed tunc id faciet secundum infinitam sapientiam suam, applicando auxilia et occasiones quibus præscit infallibiliter implendam voluntatem suam. Sicut autem omnipotentia non separatur a sapientia in sua voluntate exequenda, ita voluntas non separatur a bonitate in usu potestatis suæ, et ideo nunquam directe vult creatam voluntatem ad malum determinare vel inclinare; imo neque occasiones male operandi ex hac intentione offert; sed quia ex certa præscientia hæc interdum permittit, ideo per quamdam exaggerationem dicitur interdum Deus hæc operari, sicut dicitur corda hominum indurare, utique permittendo. Nam, licet interdum Deus aliquid positive operetur, quod præscit inclinaturam voluntatem hominis ad malum, non tamen id facit intendendo talem inclinationem, nec volendo ut homo illam sequatur, ac proinde nec determinando voluntatem hominis ad illam sequendam, sed permittendo solum, non obstante præscientia. Quod frequentissime declarat idem Augustinus, et signatim in eodem libro de Gratia et liber. arbitr., cap. 23: *In eo, ait, quem seduci permittit vel indurari, mala ejus merita credite*. Atque ita semper in malis operibus ultimam resolutionem facit ad hominis arbitrium, non ad Dei voluntatem. Igitur ex his libris Augustini et confutatione erroris Pelagii nullum habemus vestigium gratiæ prædeterminantis, sed multa potius quæ demonstrant illam positionem non esse consentaneam doctrinæ Augustini.

CAPUT XXXIV.

DE ARGUMENTO SUMPTO EX ERRORE SEMIPELAGIANORUM, ET EX LIBRIS AUGUSTINI DE PRÆDESTINATIONE SANCTORUM, ET DE DONO PERSEVERANTIÆ, CUM EPISTOLIS PROSPERI ET HILARII.

Multa de hoc argumento dicta sunt a nobis in superioribus, ubi plane ostendimus quam longe nostra sententia a Semipelagianorum errore distet; ut tamen mentem Augustini in ejusdem erroris confutatione diligentius inquiramus, et nonnullas peculiare ejus locutiones, hac occasione scriptas, quæ nunc huic